



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXI. De confeßione facienda, & non reuelanda a sacerdote, & saltem in pascha communicando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

Dei basilicæ videantur , non considerantes , quod
Dominus non sinebat , vt vas transferretur per
templum.

Sunt & alii , qui non solum ecclesias dimittunt
incultas , verum etiam vasa ministerii & vestimen-
ta ministrorum , ac pallas altaris , nec non & ipsa
corporalia tam immunda relinquunt , quod inter-
dum aliquibus sunt horrori . Quia vero zelus nos
comedit domus Dei , firmiter prohibemus , ne hu-
iusmodi supellecilia in ecclesiis admittantur , nisi
propter hostiles incursus , aut incendia repentina ,
seu alias necessitates urgentes , ad eas oporteat ha-
bere refugium . Sic tamen , vt necessitate cessante ,
res in loca pristina reportentur . Præcipimus quo-
que , vt oratoria , vasa , corporalia , & vestimenta
prædicta , munda & nitida conseruentur . Nimis
enim videtur absurdum , in sacris fôrdes negligere ,
quæ dedecent etiam in profanis .

XX.

Statuimus , vt in cunctis ecclesiis chrisma & eu-
charistia sub fideli custodia clauibus adhibitis con-
seruentur , ne possit ad illa temeraria manus exten-
di ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda . Si
vero is ad quem spectat custodia ea incaute reli-
querit , tribus mensibus ab officio suspendatur . Et
si per eius incuriam aliquid nefandum inde conti-
gerit , grauiori subiaceat vltioni .

XXI.

Omnis utriusque sexus fidelis , postquam ad an-
nos discretionis peruerterit , omnia sua solus pec-
cata confiteatur fideliter saltem semel in anno pro-

prio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam stu-deat pro viribus adimplere , suscipiens reueren-ter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum , nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptio-ne duxerit abstinentium : alioquin & viuens ab in-gressu ecclesiæ arceatur , & moriens Christiana ca-reat sepultura. Vnde hoc salutare statutum fre-quenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam igno-rantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata , licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote , cum aliter ille ipse non possit soluere , vel ligare.

Sacerdos autem discretus & cautus, vt more pe-riti medici superinfundat vinum & oleum vulneri-bus fauciati , diligenter inquirens & peccatoris cir-cumstantias & peccati , per quas prudenter intel-ligat , quale illi consilium debeat exhibere , & cuius-modi remedium adhibere , diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

Caveat autem omnino , ne verbo , vel signo , vel alio quoquis modo prodat aliquatenus peccato-rem , sed si prudentiori consilio indigerit , illud absque ulla expressione personæ caute requirat : quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio si-bi detectum præsumperit reuelare , non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus , ve-rum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam , in arctum monasterium detrudendum.